135-136

G. de Crommon.

Nobilissime Domine

Scriptum doctissimum Diodori Tuldeni de jurisprudentia
extemporali, ab auctore tuo μακαρίτῃ Bossio destinatum,
et tuo beneficio atque munere in me translatum, ac-
cepi lubens: eoque nomine ingentes tibi debeo atque habeo
gratias: tum vero maxime, quod illud munus tui erga
me amoris indicem et τεκμήριον esse voluisti. Quod
hujus scriptionis a politissimo juris cto ante hac editum
fuit olim, sed ex παρόδου tantum, perplacuit tamen
ut et cetera omnia ab eo scripta, imprimis ob genium
qui in iis eminet singularem. Carptim quaedam quan-
tum per otium licuit, his diebus quibus operae forenses
maxime fervent lustravi magis quam legi: Deus
bone quam omnia sunt mei stomachi! accuratiori
lectioni nefastos qui instant dies destinavi, certo
sciens me operae pretium facturum. Utinam hujus
eximii viri exemplo multi qui hodie sanctissimam juris
scientiam profitentur dediscerent nugari, atque citra bar-
bariem qua tersissimus veterum prudentum sermo a
multis foede nimis conspurcatur, id consectarentur quod in
quotidianis rerum obtinet argumentis. Testor ex
animi sententia, adeo me afficere hujus viri ingenium
ut jam pridem constituerim illi innutrire eos, quos
natura et pietas meae curae commendavit, qua in re
nullus dubito, ~~sed~~ optatum mihi successum spondere, si
te instituti mei habiturus sim suffragatorem.
Vale vir omni virtute et eruditione cultissime,
et amoris tui erga me ἀντάλλαγμα habe, eum qui
id unice ambit ut ex asse sit

A.S.A.D. LUGD. BAT. BIBL.

'S RYKS ARCHIEF

Hagae pridie Kal.
Sextiles CIƆIƆCXLIII.

Tuus

G. de Crommon

136

Nobilissimo, Amplissimoque Domino
Constantino Huygens Equiti
Domino de Zulichem, Principi
Auriaco a consilijs et secretis

Amsterdam